

DISSERTATIO INAUGVRALIS PHILOSOPHICA  
DE  
SVPERSTITIONIS,  
QVA DIFFERT AB IDOLOLATRIA,  
MORALITATE.

---

---

QVAM,  
MODERANTE  
GEORGIO HENRICO RIBOVIO

S. S. THEOL. DOCT. EIVSDEMQUE ET MORALIVM  
ATQVE POLITICES PROF. PVBL. ORD.

SERENISS. ET REVERENDISS. ANTISTITAE QVEDLINBVRG:  
A CONSIL. ECCLES.

DIOECES. GOTTING. ANTISTITE ETC. ETC.

IVSSV SPECTATISSIMI ORDINIS PHILOSOPHICI  
*IN ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA*

PRO SVMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBVS  
RITE CAPESSENDIS

AD D. XXXI. DECEMBR. A. R. S. MDCCLI.


PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI  
SVBIICIT

AVCTOR RESPONDENS

IOANN. HENR. CHRISTIANVS HÜPEDEN

ROTLBERODA - STOLBERGENSIS

REV. MINIST. CANDIDATVS



G O T T I N G A E

TYPIS IO. CHRISTOPH. LVDOLPH. SCHVLTZII, ACAD. TYPOGR.

VIRIS

SVMME VENERABILIBVS,  
PERILLVSTRI, GENEROSISSIMIS;  
ILLVSTTRIBVS ET MAGNIFICIS  
DOMINIS

DOMINIS

AVGVSTISSIMI, AC POTENTISSIMI MAGNAE  
BRITTANNIAE REGIS, DVCIS ATQVE ELECTORIS  
BRVNSVICO LVNEBVRGICI, CONSISTORII, †  
QVOD HANOVERAE EST,

DIRECTORI,

ET

CONSILIARIIS:

DNO. IOANNI PETRO TAPPENIO,  
DIRECTORI,

DNO. GERHARDO IOANNI DE BODE,  
CONSILIARIO AVLICO;

DNO. DAVIDI GVILIELMO ERYTHROPILO,  
S. S. THEOL. DOCTORI ET SVPERINTENDENTĪ GENERALI  
ECCLESIA RVM IN DVCATV CALENBERGICO,

DNO. CHRISTIANO VLRICO GRVPENIO,  
CONSVLI CIVITATIS VETERIS HANNOVERANA,

**DNO. PHILIPPO CONRADO DE HVGO,**  
HAEREDITARIO DOMINO IN GROSSENSCHNEEN, Rel.  
ARCHIVARIO HANNOVERANO,

**DNO. LAVRENTIO HAGEMANNO,**  
S. S. THEOL. DOCTORI, CONCIONATORI AVLICO PRIMARIO,  
ET SVPERINTENDENTI GENERALI ECCLESIA RV M  
IN HOYENSI ET DIEPHOLTENSI COMITATIBVS,

**DNO. MEINHARDO PLESKENIO,**  
S. S. THEOL. DOCTORI, ET SVPERINTENDENTI GENERALI  
ECCLESIA RV M IN DVCA TV CELLENSI,

**DNO. GABRIELI GVILIELMO GOETTENIO,**  
S. S. THEOL. DOCTORI, CONCIONATORI ET  
SVPERINTENDENTI DIOECESIOS NEO-  
HANNOVERANAE,

**DOMINIS SVS ATQVE PATRONIS GRATIOSIS**

**HOC QVALECVNQVE SPECIMEN  
HONORVM PHILOSOPHICORVM ADITIALE  
PIE ET REVERENTER DEDICAT**

**TANTORVM NOMINVM CVLTVI**

Deuotus omni studio

**Ioannes Henricus Christianus Hüpeden.**



PROEVIUM:

**S**uperstitionis olim omnia plena fuerunt; & nisi notitia rerum diuinarum atque humanarum diuinitus intercessisset, etiam nunc essent. Quae Dei vero gratia est, lux illa diuina, quae rerum vniuersitatem collustrauit, ex oriente Christi, seruatoris nostri, doctrina, nebulas istas maximam partem dispulit, quas pudenda superstitio,

*Quae caput a coeli regionibus ostendebat,  
Horribili super adpectu mortalibus instans (a)*

longe lateque sparserat. Grati igitur erga Deum animi est, atque beneficii diuini haud immemoris, respici-

(a) Lucretius de rerum natura, lib. I. v. 65.

respicere ad pristina tempora, & obseruare, quam foede olim vita hominum in terris grauissimo malo oppressa iacuerit. Absque hac ratione si esset superstitionis meditatio, alia suppeteret, quae eandem nobis persuaderet. Etenim quod usu venire solet in morbis inueteratis, vt intimis medullis insideant, optimas quasque partes corporis viui penetrent, atque subinde recurrant: idem etiam huic malo conuenit. Eius enim vis atque potestas non adeo animis hominum etiam Christianorum exempta fuit, quo minus eius reliquiae remanerent atque recrudescerent. Testem huius rei habemus historiam rerum in coetu Christianorum gestarum, quae dicto nostro fidem abunde facit, & pluribus documentis comprobat, quam cito ista scabies Christiani coetus membra occupauerit. Atque vtinam illud malum non adhuc amplius serperet & puriori religioni noxium esset. Nondum enim, quicquid istud mali est, penitus expugnatum est, eliminatum atque euersum ex congregatione, licet multis modis repurgata. Quidni igitur vtile foret, de ea amplius disquirere, turpitudinem eius in luce collocare, atque isti, quoad eius fieri licet, obicem ponere. Accedit, quod inter Christianos non deest societas, quae, nisi alio nomine, cane, angueque peius vitanda esset, saltim superstitionis causa defugienda est, vt quae maxime. Defugiemus vero feliciter & certius, si superstitionis indolem perspectam curatius habeamus. Denique sub istius mali onere magna orbis terrarum pars adhuc fatiscit, quae etsi nostra opera ab eo liberari nequeat,

PROOEMIUM.

queat, hoc tamen postulat, vt in misericordiae partem veniamus, & ostendamus, quam felices simus, si bona nostra norimus. Quibus de causis omnibus liceat mihi, aliquod specimen operae non segniter in hac illustri Georgia Augusta nauatae edituro, hoc argumentum retractare. Retractare dixi, ne viderer, saluam nouitatis commouere & plus spondere, quam ferunt vires qualescunque meae. Quemadmodum vero longius istud patet, quam breuior, & quae a me expectari potest, commentatio capit, monendi sunt lectores, quos opto, beneuoli, me, habita temporis & locorum ratione, nonnisi

*de superstitione, qua differt  
ab idololatria*

verba esse facturum. Moniti ratio ex dicendis patebit. Quo fine de ista disserturis nobis satis erit, si primum de eius *definitione & diuisione*; post de *causis* atque *effectibus*; denique de eius *moralitate* dispiciamus.

Quod vt cedat feliciter, summum numen  
supplex rogo.



# CAPVT I.

## DE SVPERSTITIONIS DEFINITIONE ET DIVISIONE.

§. I.

**N**on vnā eandemque vim & potestatem superstitionis vocabulo subiectam fuisse, nisi aliunde constaret, certe ex disputatione Grammaticorum, qui etymologiam ipsius extricare gestierunt, ad intelligendum facile esset. Nolim eam praetermittere omnem pro scopo eruendae definitionis. Etsi enim ista arte nihil incertius est, habet tamen hanc opportunitatem, vt nobis viam muniat ad inueniendam notionem, quam cum vocibus coniunxerint, & constituendum vsum loquendi, quem in definitionibus ex oculis dimittere haud par est. Eant illi, licet, in omnia alia, nihilominus tamen originem vocis notioni, quam ei adtribuerunt, vt adcommodarent, necesse habuerunt. Prodeat igitur in medium vel ipse CICERO, qui pro nugis non habuit operam, quae huic negotio impenditur. Quo iudice superstitioni adpellati sunt, qui totos dies precabantur & immolabant, vt sui liberi sibi superstites essent, quod nomen postea latius patuit (a). NONIVS vero inde deriuat, quod superstitiosi prae cultura Deorum supersedeant cetera, hoc est, negligent. Aliam viam ingreditur LACTANTIUS (b), cuius haec verba leguntur: *superstitiosi vocantur non, qui filios suos superstites optant, (omnes enim optamus); sed, aut ii, qui superstitem memoriam defunctorum colunt; aut qui parentibus suis superstites colebant imagines eorum domi, tanquam penates deos.* Nam, qui nouos sibi ritus assume-

(a) de natura Deorum, lib. II.

(b) de vera sapientia lib. IV. Cap. XXVIII.

*assumebant*, ut deorum vice mortuos honorarent, quos ex hominibus in coelum receptos putabant, hos superstitiosos vocabant. SERVIVS, ab his diffidens (c), *superstitio*, inquit, est timor superfluus & delirus: aut ab *aniculis dicta superstitio*, quae multis superstites per aetatem delirant & stultae sunt: aut secundum Lucretium, *superstitio est superstantium rerum, id est coelestium & divinarum, quae supra nos stant, inanis & superfluus timor*. Quas sententias dum excitat GERARDVS IOHANNES VOSSIVS (d) iudicium suum sic interponit, ut probet eam vocis originationem, per quam *superstitio* deducitur a *supersto*, quatenus valet idem ac *supersum*, unde *superstes*, qui *superest*, atque adeo *superstitio sit*, quando in cultu ultra modum legitimum aliquid *superest*. Subiicit idem haec: *sive quando cultus modum rectum superstat atque excedit*. Postremum etymon & ego amplectar, donec melior sententia succurret. Recogitanti vero singula dilucebit, in ista sententiarum diuersitate hoc consentaneum esse, ut ista voce designetur, quod in cultu diuino nimium est, & cui vis quaedam diuina falso & praeter rem attribuitur. Huc spectat AMMIANI MARCELLINI (e) de Iuliano Imperatore dictum: *superstitiosus magis, quam sacrarum legitimus observator: innumeras sine parsimonia pecudes mactans, ut aestimaretur, si reuertisset de Parthis, boues iam defuturos*.

## §. II.

Latinorum vocabulo apud Graecos, respondet vox *δεισιδαιμονία*, quae quidem generatim cultum diuinum significat,

(c) in libr. VIII. Aeneid. V. ex edit. Masvicii p.

(d) in etymologico, linguae latinae sub voce *superstitio* pag. 504. ex edit. Amstelod. 1662.

(e) *Histor.* lib. XXV.

gnificat, speciatim vero de cultu & metu inani Deorum vsurpari solet. Testem habemus Grammaticorum Graecorum principem *Hesychium* (*f*), cui *δεισιδαίμων* est ὁ εὐσεβής, καὶ δειλὸς περὶ θεῶν, & *δεισιδαιμονία* idem atque *φοβοθεΐα*: atque *MOSCHORVLVM*, cui est ὁ ἄλογος φόβος τῶν θεῶν, *rationali repugnans deorum metus*. Suffragantur *SVIDAS* & alii glossatores, quos apud *SVICERVM* (*g*) vide. Ἡ εὐσεβεία μέση τυγχάνει ἀσεβείας, καὶ δεισιδαιμονίας. ὅτι δεισιδαιμονία ἢ ἀκαίρος παρρησία (*legcum Ludolpho Küstero* εὐσεβεία vel θεοσεβεία) Ὁ Πυρρὸς γάρ συλῶν τὰ χρήματα τῆς Περσεφόνης, ἐπισκώψας ἔφη· Ἡ ἀκαίρος θεοσεβεία δεισιδαιμονία ἐστὶ, καὶ τὸ συλλέξαι πλοῦτον ἄπρον εὐβελία. Haec apud *SVIDAM* (*h*) leguntur, quorum hic sensus est: Pietas media est inter impietatem & superstitionem. Superstitio est intempestiua religio. Pyrrhus enim cum templum Proserpinae expilaret, cauillans dixit, intempestiuam religionem esse superstitionem; pecuniam vero paratam nullo labore capere, viri esse prudentis. (*i*)

Suppetunt ibidem alia testimonia, quibus cogi potest; etiam apud gentiles in malam partem vocem hanc adhiberi. Non igitur omni ex parte verum est scitum in Etymologico *M.* (*k*) ἰστέον, ὅτι παρὰ μὲν τοῖς Ἕλλησιν ἐπὶ καλῆ λαμβάνεται. Παρὰ δὲ ἡμῖν τοῖς χριστιανοῖς ἐπὶ τῆς ἀσεβείας: sciendum est apud gentiles quidem in bonam

par-

(*f*) in lexico Tom. I. Lugd. Bat. pag. 908.

(*g*) in thesauro ecclesiast. T. I. pag. 827.

(*h*) in lexico graeco Tom. I. pag. 535. ex edit. Cantabrig. 1705.

(*i*) Posteriora verba sunt Appiani de Pyrrho exponentis, quae Küstero obseruante in excerptis a Valesio editis deprehenduntur pag. 554.

(*k*) apud *SVICERVM* l. c.

partem accipi vocabulum *δεσποδαιμονια*, apud nos vero Christianos de impietate dici. Quibus ex omnibus efficitur, superstitionis nomine apud Graecos quoque venisse id, quod in religione est nimium.

## §. III.

Descendamus ad Germanos nostros, quibus superstitio dicitur *Aberglaube*, quam vocem non male interpretaris per *falsam fidem*, per fidem, quae modum excedit. Ea enim est vocis *aber* in compositione potestas, ut significet id, quod nimium est. Ne videar, haec sine teste dixisse, prouoco ad GEORGIVM HICKESIVM, veteris nostrae linguae peritissimum, qui haec (1) tradit: *ofer* in compositis plerumque denotat excessum, atque haec exempla subiicit: *over-drincan*, plus aequo bibere, *ofer-aet*, nimia ingluuies, *ofer-blith*, supra modum laetus, *ofer-modian*, superbire, *ofer-hogian*, contemnere. Saxonum vero *ofer* & Gothorum *afar* esse idem, atque hodiernum *aber*, nihil habet dubitationis. Vox igitur germanica *Aberglaube* significat nimiam facilitatem, admittendi res pro diuinis.

## §. IV.

Ab hoc significato non abludit notio, quae vocabulo Gallico *bigot* adhaeret, quod teste CAMDENO in sua Britannia est Germanorum vel Anglorum *by God*, & non solum de hypocritis vsurpari solet, sed etiam de eis, qui

(1) in grammatica Anglo-Saxonica-Moeso-Gothica, pag. 68. quae constituit partem primam Thesauri linguarum veterum Septentrionalium Oxonii 1703. in folio edi coepti.

qui superstitioni & nimio cultui diuino dediti sunt (m).  
Eadem potestas voci *superstition* subiecta est. (n)

§. V.

Satis de vocibus diximus. Iam de ipsa definitione disquiramus. Sunt, qui eam in nimio & inani Dei timore collocant. His suffragatur CICERO, quo auctore superstitione a religione differt, quod haec sit pius Dei cultus; *illa inanis Dei timor*. Suffragatur quoque etymologia vocis Graecae *δεισιδαιμονίας*, quae est *deorum formido*. Quid? quod THEOPHRASTVS (o) *δεισιδαιμονίαν* vocat *φόβον πρὸς τὸ δαιμόνιον*, id est, *metum erga numen*. Verum attendenti ad testimonia, quae §. I. II. excitauimus, planum sit non actionibus solum eis inesse, quae propter malum auerruncandum suscipiuntur, sed etiam in istis, quibus bonum obtinere homines gestiunt. Qua de re non limitibus timoris nimii erga numen circumscribenda videtur. In philosophia non admittenda sunt multa vocabula idem significantia. Id circo ratio suppetit, cur superstitionem partim a religione & cultu diuino, partim ab idololatria distinguamus. Accedit, quod nostra aetate idolorum cultus maximam partem cessauerit, nondum sublata omni superstitione. Adtemperanda igitur est definitio vsui vocis, qui etiam nunc obtinet. Temporis enim lapsu variari vocum significationes atque adeo definitiones, linguarum & vocabulorum historia docet. Qua de causa modo ampliandae sunt definitiones, modo arctius constringendae. Calculos

(m) Furetiere *Dictionaire universel* T. I. sub voce *bigot*, edit. Hag. 1701.

(n) *ibid.* T. III. sub voce *superstition*.

(o) in characteribus morum c.

los igitur si recte posui, *superstitio erit habitus, rebus adtribuendi vim diuinam, qua destituantur.* Quae quidem definitio non abhorret ab ea, quae in SAVRINI institutionibus catecheticis extat, neque ab illa, quam designat PETRVS LE BRVN (p), qui ad superstitionem refert id omne, quod interturbat cultum Deo soli debitum, eius rei causa est, atque eum aliunde inflectit. Ex dicendis patebit, superstitionis pro nostra significatione proprium esse, vt aliorsum vertat cultum, quo soli Deo adstringimur. THOMAM ab AQUINO, definitionis adprobatores (q), pariter, atque SVARESIVM laudauit idem (r), & sententiam suam eundo per exempla copiosius explicuit, quorsum spectant, si quis defugiat ad effectum quendam, qui non nisi a Deo, exclusa omni causa intermedia, originem trahere queat; si quis expectet ab re creata, id quod non nisi a Deo existere possit, propterea quod sibi illud seruauerit, verbi causa futurorum, subaudi contingentium, cognitio; si quis effectum sibi promittat a causa, quacum summum numen illum neque per leges generales, neque per particulares coniunxerit; si denique caerimoniis, ex arbitratu institutis, adscribatur quaedam affectio diuina. Nisi me omnia fallunt, haec imprimis in nostram definitionem conueniunt. Non desunt alii, qui aduersus pontificiis sacris addictos controuersiae ferram reciprocarunt, atque distinctioni inter eam & idololatriam locum reliquerunt, & definitioni, quam meam feci, assentiuntur. Summe Reuerendus CANZIVS superstitionis proprium statuit,

(p) in *histoire critique des pratiques superstitieuses*, ex edit. Amstelod. 1733. pag. 83.

(q) in *summa super quaest. de relig. 22. quaest. 92. a. 2.*

(r) l. cit. p. 85.

statuit, *vt quis rebus extra Deum plus tribuat, quam re vera virium habent.* (s)

§. VI.

Sic constituta definitione superstitionis, necesse est, vt eius declarationem prosequamur. Quemadmodum omnis definitio genere & differentia declaratur: ita genus ipsius in habitibus, vt vocant, adnumerari, hac ratione ductus, quod ea ad vitia referri solita est, quibus non vna alteraque eiusdem speciei praua tribuitur actio, sed chorus quidam turpium actionum sui similibus, quae habitum conficiunt. Huc accedat, quod a superstitione superstitiosus dicitur, cuius non est, semel atque iterum ea committere, quae hac in re extrema sunt, sed saepius & perpetuo.

§. VII.

*Rei nomine nobis venit id omne, cui aliqua respondet notio.* Solent res & personae discerni, & merito quidem alibi discernuntur. Hic vero discriminis istius nulla habetur ratio. Tam longe enim superstitionis vis atque potestas patet, vt certis terminis vix ac ne vix quidem concludi queat. Res, personas, modos, vt vocant, relationes, immo aliquid, quod nihil est, adripit illa, atque ad se trahit. Fidem dicto faciemus, cum ad diuersas eius species ventum fuerit.

§. VIII.

Vim quandam diuinam rebus quibusdam a Deo adtribui posse, nihil habet dubitationis. Quid enim obstat, quo  
mi-

(s) in disciplinis moralibus omnibus. §. 611. pag. 207.

## DEFINITIONE ET DIVISIONE.

11

minus is, qui rebus vitam & omnia largitur, vim quandam suam in illas transferat? Superstitiosus igitur subinde non tam errat, si sermo est de rei possibilitate, quam de probabilitate & actualitate, ut loquuntur philosophi.

## §. IX.

Errare dixi superstitiosum. Attribuit ille vim quandam diuinam rebus, qua non gaudent. Ipsi igitur iudicium minus cum re consentit. Istiusmodi iudicium falsum & error vocatur. Ideo superstitioni inest error. Error ex iudicii imbecillitate originem trahit. Quare superstitio iudicii imbecillitatem prodit.

## §. X.

Si credimus, rei inesse vim quandam diuinam, facile progredimur ad eius cultum. Idcirco fieri potest, ut cum superstitione coniungatur cultus, qui ciuili non est, atque adeo religiosus. Superstitio igitur prope abest ab idololatria. Abest tamen. Idololatria enim est habitus, colendi rem, vel personam, quae perperam pro Deo habetur. Idololatria in re tota errat, & Deum fingit, ubi non est; superstitiosus modo rebus adfingit vim diuinam, qua destituuntur.

## §. XI.

Cum superstitio locum inueniat, etsi error non adfit intuitu Dei ipsius, consequens est, ut superstitio etiam in veri Dei cultores cadere possit. Non igitur recte calculos ponit, qui in hunc modum argumentatur: colo verum Deum. Ergo absom ab omni superstitione. Hic obseruandum quoque est discrimen inter veri Dei cultores & veros veri Dei cultores.

B 2

§. XII.

## §. XII.

Habitu istum vitiosum inter homines obuium esse, probatu procliuè est. Non est, cur e longinquo huius rei exempla petamus, quae vltro se dant, atque in sensus incurrunt. Etenim tam intra coetus Christiani moenia, quam extra eadem, vti olim, etiam nunc, tam inter superiores, quam inferiores eiusmodi deprehenduntur homines, qui obseruationes friuolas colligendo, causas euentuum minus feliciter indagando, alios imitando, etiam desidia studio eo delabuntur, vt rebus vim diuinitus insitam statuunt, atque pro ea, tanquam pro aris & focis acriter propugnent. Videbimus hoc eundo per species. Alia est superstitio, quae versatur circa substantias, alia circa accidentia. Substantias si spectas, primo loco occurrunt spiritus, & in his angeli boni & mali, quibus a non paucis vis quaedam diuina attribuitur. Innumerae sunt superstitiones, quae intuitu angelorum inter Christianos extiterunt. Ad angelos bonos quod attinet, superstitio aut viam muniuit DIONYSIVS ille AREOPAGITA in libris *de hierarchia coelesti*, aut eam multum iuuit. De Cacodaemone non est, cur multa in medium proferam. Ipsius vim non pauci mirum in modum auxerunt atque eam cum diuina fere exaequarunt, plura ipsi a Deo permessa statuentes, atque quibus re ipsa gaudet. De genis, lemuribus, penatibus, manibus, coboldis, de feminis albis, quas maraphas vocant, & si nilibus quid dicam? Exposuerunt de eis GERHARDBVS IOHANNES VOSSIVS (t) LAVATERVS (v) VOËTIVS (x), MARTINVS GEIERVS (y), & alii, quos

(t) in erudito opere de idololatria.

(v) de spectris.

(x) in disputat. de spectris, angelis tutelaribus.

(y) in disquisitione theologica de superstitione.

quos recensere omnes nimis longum foret. Quae seculi nostri felicitas est, prudentiores quique hisce omnibus, quae de illis narrantur, fidem dudum derogarunt.

## §. XIII.

Superstitio coelum quoque petiit, & astris vim quandam adscripsit, quae, si aliqua esset, certe diuina esset. Huc spectat vniuersa astrologia iudiciaria, cuius funus, non est adeo longum, cum duceretur, multum refragante *Morino*, qui methodo mathematica eius dignitatem tueri voluit. E coelo reuersa longe lateque grassata in tellure, atque hominibus v. c. vim, sanandi vel solo tactu certos morbos, adtribuit. Equites e familia S. Huberti crediti sunt ea potestate praediti, vt vel solo tactu capitis homines, inuocato Beatae Mariae Virginis nomine, immunes possint praestare a furore ex morfu canis rabidi metuendo, & sanandi ex morfu istiusmodi saucios. Vide, quae hac de re *Petrus Le Brun* disputat (z), quem, miror, tuitum esse virtutem, curandi solo adtactu strumas, regibus Galliae attribui solitam (a). Morientes, diuinandi, potestate pollere, credidit olim Graecia (b). Mortuis vero quae non fabulosa solum antiquitas, sed etiam Christiani, imprimis vero sanctitatis fama inclutis, adiudicarunt? Huc spectant beatificatio vel canonisatio; reliquiarum cultus, non nisi ex ista opinione exortus, quod vis quaedam

(z) in *histoire critique des pratiques superstitieuses* T. II. pag. 56.

(a) pag. 641. *ibid.*

(b) *Cicero de diuinatione* lib. I. *Houteuillius* in libro, cui titulum inscripsit: *la religion Chretienne prouuee par les faits* §, 261. edit. fec.

dam diuina offibus sanctorum adhaerescat, quem, sub *Eusebii Romani* nomine, MABILLONIVS (c) improbaui; preces ad sanctos institutae, quos officio mediatoris ornant (d), & laudes, in quibus illis, vel Serenissimo ERNESTO Landgrauio (e) teste, ista adscribuntur, quae soli Deo competunt. Haec omnia superstitionem redolere, ad intelligendum facile est, etsi LABRVSSSELIVS (f) *ne umbram quidem aliquam superstitionis* in his concedere velit. Quid dicam de cultu Mariano? Viderunt ipsi Pontificiis laeris addicti, in eo committi excessus, qui ex superstitione nimia originem trahant, vti constat ex ADAMI WIDENFELSII *Monitis B. Virginis ad cultores suos indiscretos, & Apologia*, ab Episcopo Tornacensi pro isto libro edita. Sed meum non est, controuersiae terram cum Pontificiis reciprocare.

## §. XIV.

Longius proueheret, quam limites dissertationis permittunt, si, eundo per species rerum, accidentia, modos, relationes, etiam entia rationis, vt vocant, recenserem, circa quae versatur superstitio. Pleraque superstitionis genera cognoscendi, cupidos ablegamus ad MARTINVM GEIERVM, qui eorum indicem haud exiguum exhibet (g). Veniamus igitur ad alias diuisiones, quae pendent a vi, quam superstitio rebus tribuit.

## §. XV.

(c) in catholico discreto apud Weismannum in hist. eccles. T. II. pag. 779.

(d) in epistola ad Theophilum Gallum de cultu sanctorum ignotorum, ao. 1698. edita.

(e) Richard Simon in Bibliothecae critique T. II. pag. 83. 84.

(f) de abusu Criticae.

(g) in libro cit. C. III.

## §. XV.

Quemadmodum vero vis diuina, quae vel personis vel rebus adscribitur, maior vel minor esse potest: ita superstitio distribui potest in *enormem & tolerabiliorem*. Si vis in rebus admittatur, quae Dei potentiam exaequat, aut ea maior & fortior est, illa *enormis* dici meretur. Quodsi vero vis ista minor est, & eiusmodi, quam Deus rebus adtribuere possit, dummodo velit; *tolerabilior* erit. Sed incidit quaestio, qui fieri possit, ut vis diuina rebus adtribuatur, quae Dei ipsius potentia maior sit. Respondemus, fieri hoc posse in deceptrici notione, nec deesse exempla, quibus id comprobari potest.

## §. XVI.

Vis ista diuina, quae rebus inesse falso creditur, aut *noxia* hominibus, aut *utilis* est. Si hoc; superstitio erit *fiducialis*, quia ad *gignendam* fiduciam apta nata est; sin illud, *meticulosa*, propterea quod metuemus, quae nocitura videntur. Huc faciunt veneficia sagarum & magorum.

## §. XVII.

Cum vis ista diuina, quam perperam superstitiosi rebus adiudicant, vel essentiae ipsarum repugnet, vel minus repugnet, existit alia diuisio, per quam eam in *absurdam & speciosam* dispescimus. Absurda erit superstitio, quae rebus adtribuit vim diuinam, quae illis neque inest, neque vilo modo inesse potest. Pugnancia statuit, qui eam superstitionem amplectitur. E contrario speciosa illa est, quae rebus vim adtribuit, quae ipsis inesse potest, etsi ea destituantur.

## CAPVT II.

### DE CAUSIS ET EFFECTIBVS SVPERSTITIONIS.

#### §. XVIII.

Sic constituta superstitionis definitione, & adiecta diuisione non vna, pergendum nobis est ad causas & effectus, vt in diiudicanda moralitate ipsius eo felicius versari possimus. Superstitio rebus vim adscribit diuinam, qua desistuntur, atque adeo error est. (§. IX.) Error ex ignorantia oritur, immo, vt veteres philosophi loquebantur, est ignorantia composita. Ideo ad peruidendum est facile, ignorantiam effectuum, viriumque naturalium praecipuam esse superstitionis causam. Quicumque enim ignorat, quae per essentiam & naturam rerum fieri possint, is facile effectus naturales pro praeternaturalibus habet. Effectus supernaturales non pendent, nisi a vi diuina. Ideo quis facile eo delabitur, vt rebus extra Deum positis vim quandam diuinam adfingat, quae in eas prorsus non cadit. Ante constituunt homines, nullum esse effectum sine causa & ratione sufficienti. Ex ignorantia legum & virium naturalium neutram in natura & essentia rerum vident, & iudicant, non pendere a natura, quia non cognoscunt. Dicto fidem facimus quoque ex rerum gestarum memoria. In seculis anteactis longe lateque regnabat superstitio. In causa nihil aliud fuisse, quam philosophiae naturalis ignorantiam, inde dilucet, quod ea magnam partem imminuta est, postquam circa medium seculi superioris ea excoli coepta, academiae scientiarum, quas vocant, institutae,

&

C. II. DE CAUSIS & EFFECTIB. SVPERST. 17

& verior philosophandi ratio inuenta est. Idem inde comprobatur, quod adhuc apud gentes & sectas, quae in ignoratione rerum naturalium versantur, superstitione caput effert & dominatur. Sumamus exemplum a veneficiis & incantationibus. In ista, qua fruimur, luce nemo sanus effectus illos naturales, quos fortasse sagamagico artificio praestitit, in diabolum transcribet, nec diabolo potentiam diuinae aequalem, vel illa superiorem adtribuet, neque vires ipsius immanes reddet. Nouimus enim, neque diabolum vires suas transgredi, neque miracula patrare posse. Quamobrem subit mirari, quae fieri poterit, vt Herbipoli istiusmodi adhuc crederentur, quemadmodum ex supplicio capitis nuper de sagamoto adparuit.

§. XIX.

Huic causae aliam adiungimus, quam in cupiditate, praesciendi futura, deprehendisse nobis visi sumus. Hac omnes fere mortales flagrant, qui feliciores se fore credunt, si, quae sibi & aliis euentura essent, praecognoscerent. Quae anxie optamus, facile credimus & pro veris adipiscimus. Idcirco innumerae artes superstitiosae inuentae fuerunt, quibus etiam homines fidem adstrinxerunt. Multis igitur personis & rebus, praedicendi futura, inprimis contingentia, potestatem adscripserunt. Personas si spectas, in illis adnumerandi sunt vates, harioli, engastrimythi, fanatici Deorum & alii homines, qui arte diuinandi pollere crediti sunt. Oracula quo referam, nescio. Res quod attinet, astra, de quibus diximus (§. XIII.), exta, auium volatus, portenta, prodigia, soni quidam, voces, & alia, omina & praesagia subministrare visa sunt. Romae constituti erant haru-  
spi-

spices, de quibus vetus illud *Catonis* scitum *CICERO* (b) commemorat, qui mirari se aiebat, quod non rideret *haruspex*, *haruspicem cum vidisset*.

## §. XX.

Metus quoque, & mali imminentis formido super-  
 fitionem genuit. Auctore *XENOPHONTE* (i), me-  
 tus inter omnes res terribiles maximo impetu animos ho-  
 minum percellit. Plus saepe ille apud animum valet, quam  
 malum, quod metuimus. Exempla idem subministrat.  
*Scis enim*, inquit, *eos, qui metuunt, ne in exilium e pa-*  
*tria pellantur, & qui pugnaturi metuunt, ne succumbant,*  
*in moerore degere.* Itidem, qui inter nauigandum metuunt,  
*ne naufragium faciant, & qui seruitutem & vincula ti-*  
*ment, ne cibo quidem ac somno prae metu frui possunt.* At  
*qui iam sunt exules, quique iam victi sunt, ac seruitutem*  
*qui seruiunt, nonnunquam possunt etiam magis, quam for-*  
*fortunati homines cibo, potu, somno uti.* Isto adfectu ani-  
 mum torquente, atque in diuersas partes trahente, pri-  
 ma quaeque adripimus & leuissima, oneris citius melius  
 leuandi causa. Mentis acies, quod in affectibus genera-  
 tim fieri solet, per illum retusa, & animus impatiens in  
 causa sunt, cur res, quae se obuiam dant, minus adcura-  
 te diiudicentur. Pro isto statu procliui sumus ad vim  
 diuinam rebus adtribuendam, quae in eas non cadit, &  
 ad fidem eis adhibendam, qui hoc nobis persuadent.

ὁ γὰρ φόβος διδάγμα καίματ' ἔργον.

Nam metus magnus magister est. (k) Documentum no-  
 bis sit Saul, primus Israelitarum rex, acerrimus ille saga-  
 rum

(b) libr. II. de diuinatione.

(i) de *Cyropaedia*, lib. III. Cap. VI.

(k) *Gregorius Nazianzenus de vita sua*.

rum atque magorum expulsor, qui in angustiis constitutus, atque metu percussus, sagam Endoream quaerit, & credit facile, multum esse ipsius nugas. 1 Sam. XXVIII. 5. Excitati metu grandinis imminentis, quam nubes praefagire videbantur, Cleonenses aut agnum mactare, aut per digiti incisionem sanguinem emittere consueverant. Erant, qui *suspicaretur, esse in sanguine vim quandam potentem, auertendae ac repellendae nubis.* Repugnat SENECA: *sed quomodo, inquit, in tam exiguo sanguine potest esse vis tanta, ut in altum penetret, & eam sentiant nubes.* *Quanto expeditius erat dicere: mendacium & fabula est.* (1) Vereor, ne ad fine iudicium ferendum sit de campanarum baptizatarum pulsū, a Pontificiis ad tonitrua & fulmina auertenda adhiberi solito: mendacium & fabula. Magicae artes metui inprimis originem debent. Daemonibus olim omnia mala, morbi & fata aduersu hominum adscripta fuerunt. Idcirco ex metu, ne mala immitterent, partim homines eos cultu religioso dignati sunt, quale quid de Slaus commemoratur; partim ad incantationem ventum est, qua malorum spirituum indomita licentia refrenaretur. Vtrobique reperitur superstitio, quam (§. XV.) meticulosam diximus. Ad Dei vim spectat immittere, & permittere mala, quae falso daemonibus adtribuitur. Vis ista, compescendi daemones, veneficis, characteribus pluriformibus, formulis & aliis rebus inesse visa, naturalis non est, sed supernaturalis &, quod consequens est, diuina.

## §. XXI.

Fiducia boni obtinendi superstitutionis saepe mater est. Felicitatis nostrae omnes adpetentes sumus. Quae-  
rimus

(1) Lib. IV. *Quaest. Natural.* Cap. VII.

rimus igitur plurima instrumenta, quibus eam conlequi licet. Vti omnes adfectus veri perspicientiam impediunt; ita etiam fiducia eidem subinde obstat. Ideo fieri potest, ut credamus, rebus, cupiti commodi causa, vim quandam inesse, naturali maiorem, atque adeo diuinam. Si addubitas, ecce tibi exemplum! De *Muenzero*, rusticorum, sec. XVI. p. C. N. tumultuantium, antesignano, relatum legimus, quod iridem de coelo visam, cum res ad proelium prope Francohusam spectaret, praenunciam victoriae certam interpretatus est. Siue hoc ex animi persuasione, siue suos accendendi causa dixit, hoc certum est, ipsum fidem nullo negotio inuenisse. Dei est, fortuita, & ex causis liberis pendentia praenunciare. Vis igitur, iridi adscripta, in exemplo dato si aliqua, diuina fuisset. Nulla fuit. Ideo rusticos superstitionis incusamus. Anceps signum erat, quod tam a principibus, qui eos coercere volebant, facere poterat, quam a se stare rustici putabant. Qui crediderunt, faciles? Omnibus votis hoc ipsum expetebant, & discupiebant. Non desunt in historiarum monumentis adfinia exempla. Huc referri potest opinio non gentilium solum, sed etiam Christianorum, quae de fortuna apud vulgum non solum, sed & praestantes viros conualuit. Eam sibi non pauci fingunt tanquam personam, vel sibi ipsis, vel aliis ad latus stantem, quae prospera quaeque dispenset, atque in eos deriuat. CICERONIS de hac re haec verba leguntur: *fuit enim profecto quibusdam summis viris quaedam ad amplitudinem, & ad gloriam & ad res magnas bene gerendas diuinitus adiuncta fortuna.* (m) Idem, praeter alias res summo Imperatori felicitatem inesse oportere, (n) eandemque Cn. Pompeio obsecundare, contendit. De-  
tur

(m) in oratione pro lege Manilia C. X. p. 54. ex edit. Graenii Amstel. 1699.

(n) ibidem pag. 35, & 54.

tur haec venia gentilibus, quod in tantis tenebris minus recte de Diis atque potestate diuina senserint; christianis danda non est, si in hunc modum sentiant & proloquantur. Est sane superstitio, hominibus adscribere virtutem, humana, superiorem, & eius quidem speciei, quam fiducialem adpellauimus (§. XV.)

## §. XXII.

Facilitas credendi incredibilia hominibus saepe imponit, & persuadet facile, rebus adesse potestatem diuinam, etsi longissime absit. Huius imbecillitatis indicium deprehendimus in infantibus, ex quibus de vitiis, homini connatis, certius est iudicium. Mirum est, quanta adtentione inaudita, quae neque facta sunt, neque vnquam fient, auribus percipiunt, quantaue animi cupiditate ea amplectantur. Ludos suos, ioca & crepundia, haec deserunt omnia, dummodo adsideat mirabilium magister, qui ad eos se demittat. Audiunt ista etiam nunc adolescentes libenter, delectantur eis iuuenes, & viri facti, licet meliora didicerint, amore ipsorum tentantur; senes, bis pueri, credunt. Quam suauiter verbis, vltrocitroque habitis, horae falluntur, & sermo subinde in multam noctem producit, si de hisce confabulamur. Quibus aliquis fuit vsus cum hominibus, illi me experta loqui, facile concesserint. Hoc animo cum simus, ad persuadendum facile est, inesse rebus virtutem, quae naturam omnem superat, etsi illa nulla sit. Non ab re igitur inde cogimus aliquam superstitionis causam.

## §. XXIII.

Huc accedat, quod multa explicatu difficilia, nodi, vnci, cruces in philosophia occurrunt: in eis etiam re-

bus, quae ubique obviae sunt, atque in sensus incur-  
runt. Vsu igitur venire solet philosophis, ut *θεοῦ ἀπὸ  
μηχανῆς*, Deum ex machina aduocent, & neglectis cau-  
sis secundis, quas vocant, ad causam primam defugiant,  
qua ratione suae desidiae & inscitiae velum obtendunt.  
Ideo res virtute diuina impertiuntur, quae id expediat,  
quod ipsi extricare aut non poterant, aut pigrati erant.  
Plenam superstitionis hanc esse philosophandi rationem,  
nemo est vnus, qui non videat.

#### §. XXIV.

Lucri cupiditas vti fallendi causa existit: ita etiam  
homines inducere potest, vt aliis egregie imponant. Re-  
bus peruulgatis & tritis non multum aucupari licet; mi-  
rabilibus vero plurimum. Ideo impostores, incredibili-  
lia narrando, & de rebus atque personis istiusmodi prae-  
dicando, quae admirationem aliis mouent, homines  
facile in fraudes deducunt. Quodsi adcesserit auctori-  
tas quaedam vel fraudem struentium, vel eis fidem ad-  
hibentium: tum eo melius res omnis procedit. In hunc  
modum sacerdotes olim in Aegypto & apud Pontificios  
non imperitae solum plebi, sed etiam prudentioribus  
saepe illuserunt, & ex parte etiam nunc illudunt. Fidem  
faciunt inter alia miracula, imaginibus B. Mariae Virgi-  
nis, & sanctorum, quos vocant, adscripta, de quibus  
integri libri: v. c. TVRSELLINI & LIPSII, mendacio-  
rum plenissimi, extant. Quocirca aperuimus alium fon-  
tem, ex quo superstitio dimanauit.

#### §. XV.

Haec de causis superstitionis sufficiant. Restat, vt  
de effectibus ipsius nonnihil in medium proferamus. In  
omni

omni superstitione errorem inesse, docuimus (§. IX.). Error hoc per se habet, vt statum nostrum imperfectiorem reddat. Idcirco superstitio perfectioni nostrae repugnat. Quemadmodum errori error vicinus est: ita etiam in superstitione fit, vt ista ad alios errores viam muniat. Qua ratione nostra imperfectio maior redditur. Sicubi errare malum est, certe periculosius in rebus diuinis erratur. Superstitio igitur non leue malum secum ducit.

## §. XXVI.

Voluntas intellectus iudicium sequitur. Superstitioni error inest, qui facere potest, vt expetamus bonum, propterea quod rem aliter spectamus, atque re ipsa est. Inde voluntatis imperfectio existit, quae merito in malis adnumeratur.

## §. XXVII.

Superstitio rebus adtribuit vim diuinam, qua destituuntur, vnde quis facile delabatur ad cultum religiosum (§. X.). Cultum istum spurium esse, & obitare religioni verae ad probandum facile est. Vis enim illa diuina cum nulla atque adeo inanis sit, & nullus est cultus iste superstitiosus. Dubium non est, quin religioni repugnet, cultum religiosum aliorum vertere, quam quo verti debebat. Damnum igitur superstitio religioni adfert. Religio omnis potissimum in Dei honore sita est. Ideo superstitio de honore diuino detrahit, & quod consequens, ad gloriae diuinae obscuracionem facit.

## §. XXVIII.

Superstitionis meticulosae proprium est, vt res vi quadam malefica, eademque insigni impertiamur, quae

tamen in eas minus cadit, (§. XVI.). Magnum malum imminens in metum nos adducit. Ergo superstitio haec metum gignit. Vanus metus est, si malum, quod metuimus, nullum est. Malum vero hic nullum adest. Ergo meticulosa illa superstitio in vanum metum homines coniicit. Eius rei exemplum habemus in Atheniensibus, de quibus VALERIUS MAXIMVS (o) haec refert: *cum, obscurato repente sole, inusitatis perfusae tenebris Athenae sollicitudine agerentur, interitum sibi coelesti denuntiatione portendi credentes; Pericles processit in medium, & quae a praeceptore suo Anaxagora pertinentia ad solis & lunae cursum acceperat, disseruit: nec, ulterius trepidare ciues suos vano metu, passus est.* De ingenti religione, & ex ea formidine militibus Alexandri propter lunae defectionem incussa exposuit CURTIUS (p): *Sulpicius Gallus in exercitu L. Pauli de lunae defectione disseruit, ne velut prodigio diuinitus facto militum animi deterrerentur (q).* Metus iste vanus interturbat statum perdurantis gaudii, quem felicitatem adpellamus. Non igitur iste & felicitas hominum vna in sede morantur. Sunt & alia damna, quae idem hominibus adfert. Nicias, Atheniensium imperator lunae deficientis metu confusus pulcherrimum Atheniensium exercitum perdidit. (r).

### §. XXIX.

Stulti est, inepta ad finem consequendum instrumenta adripere. Superstitio, inprimis fiducialis, nobis

(o) lib. VIII. C. XI.

(p) lib. IV. Cap. X. pag. 240. ex edit. Snackenburgii.

(q) *Quintilianus in inflit. orat.* Lib. I Cap. X. pag. 87. ex edit. Celeb. Gesneri.

(r) *ibid. & Plutarchus in Nicia T. I. p. 538.*

bis inepta ad fines praestitutos instrumenta subministrat. Qua de causa superstitioni iniuriam non facimus, cum eam in causis stultitiae ponimus. Viderint igitur superstitioniosi, in quantum a stultis ipsi diffideant.

## §. XXX.

Cum homo supersticiosus rebus creatis vim quandam diuinam, etsi perperam, largiatur, atque in opinione, quam animo infeliciter imbibit, occalluerit, impietatis erga Deum reus ipsi videtur, qui aut contentim de illis iudicat, aut sententiae intercedit. Pietatis igitur, vt credit, studio animatus, ea aget omnia, quae animus male de religione informatus fuscipere solet. Quae suadet fanaticus error, illa proficisci solent ab homine superstitione innutrito atque plane imbuto. Nulla res efficacius homines regit, quam superstitio, & ad audacissima quaeque facinora impellit. Crimina non auersantur vana religione capti & ad durissima in eos statuenda proni sunt, qui ab ipsis dissident. (s)

## CAPVT III.

### DE MORALITATE SVPERSTITIONIS.

## §. XXXI.

Moralitatem actionum interpretor differentiam earum quoad rectitudinem. Quemadmodum autem actiones bonae rectae, malae vero minus rectae censentur; diui-

(s) Vide, quae *Baelius* de hac re disputat in *Dictionaire historique & critique* T. III. p. 264. a.

ita consequens est, vt actionum moralitas in differentia actionum quoad bonitatem & malitiam vel turpitudinem collocanda sit. Quae de actionum moralitate diximus, in habitum quoque conueniunt. Ratio subest, quod habitus nihil est aliud, nisi facultas, suscipiendi eiusdem speciei actiones. Omnis igitur de superstitionis moralitate disputatio eo redit, vt diiudicemus, vtrum habitus iste bonus, an prauus sit.

### §. XXXII.

Actionum bonitas vel turpitudinis ex eis diiudicatur, quae eas consequuntur. Si illa cum essentia & natura hominum consentiunt, atque adeo eos perfectiores reddunt, bonae dicuntur; sin repugnent, & quod consequens est, imperfectiores reddant, malae habentur. Idcirco ad effectus actionum respicere par est, si de earundem moralitate iudicium ferre volumus. Par est ratio, vt monuimus, habituum.

### §. XXXIII

Ex iis, quae vltimo loco de superstitionis effectibus disputauimus, qui a superstitione pendent, adparet, repugnare superstitionem perfectioni intellectus & voluntatis (§. XXVI.) Idcirco prauus est habitus.

### §. XXXIV.

Accedit, quod superstitio religioni verae detrimentum adfert, atque ad obscuracionem gloriae diuinae facit (§. XXVII.) Sumimus hic, quod probatu procliu est, nostram perfectionem ab honore Dei & religione non seiungendam esse. Huic consentaneum est, vt perfecti-

fectioni nostrae repugnet, quicquid religioni vel honori diuino aduersatur. Vel inde patet, superstitionem in habitibus prauis adnumerandam esse.

## §. XXXV.

Superstitio meticulosa animo metum inanem iniicere solet. (§. XXXVII.) Illum malis adscribendum esse, dubium non est. Quamobrem & superstitio in habitibus prauis collocatur.

## §. XXXVI.

Stultitia ad imperfectiones hominum spectat, vt quam maxime. Iam vero probatum dedimus, superstitionem viam munire ad stultitiam, atque parum ab ea diffidere. Prauum id omne est, quod perfectioni nostrae aduersatur. Quotus igitur quisque est, qui non peruideat superstitionis turpitudinem?

## §. XXXVII.

Superstitionem damnum inferre aliis hominibus, & societati humanae metuendam esse, (§. XXIX.) docuimus. Quicquid aliis hominibus damnum infert, atque eorum statum imperfectiorem reddit, in malis ponitur. Quocirca etiam superstitionem prauis habitibus adscribimus.

## §. XXXVIII.

At, inquires: sunt tamen boni quidam effectus, qui a superstitione pendent. Exemplum praebet Alexander Magnus, qui Aegyptiis vatibus usus est, cum luna de-

*ficiente pro seditione res in ipsius castris esset, atque militibus eorum effato illufit. (t)* Ad artes regnandi superstitione referri solet, utpote quae tam tempore belli, quam pacis multas opportunitates habet. Quamobrem illa videtur numero malorum habituum eximenda. Quicquid enim salutis reipublicae inferuit, illud turpitudine minus laborare potest. Verum id ex accidenti est, ut loquuntur, & turpitudinem superstitionis non tollit. Non desunt enim alii habitus pravi, artes, fraudes, quae interdum reipublicae commodum afferunt, & nihilominus tamen minus licitae habentur. Qui *Curtio* autore iudicant, reipublicae pernecessariam esse superstitionem, illi habent aduersantem *LIPSIUM* (v) Πολιτικώτατον, atque *BAELIUM*, (x) qui eam pestem societatis humanae statuit. Nostra sententia, non est unquam malum faciendum, ut inde eueniat bonum, & supersedere possumus, in regenda ciuitate, superstitione, nisi in ea haeresi simus, non nisi pravis artibus salutem reipublicae obtineri posse. Qua sententia posita societas humana erit illicita, atque dissoluenda.

### §. XXXIX.

At non desunt in sacris litteris exempla eorum, qui cum fide superstitionem coniunxerunt, de quibus acute & erudite, hoc est, pro more suo exposuit summe Reuerendus *HEVMANNVS*. (y) Quicquid fidei non nocet, illud pro malo & turpi haberi nequit. Quid? quod potius.

(t) *Curtius* lib. IV. Cap. X.

(v) in *monitis & exemplis Polit.* Cap. 3. pag. 137. sqq.

(x) *Continuation des pensées diverses* pag. 190. T. III. *Oeuvres diverses.*

(z) in *diff. inaug. de superstitione fidei innocue admixta.*

potius illud in bonis adnumerandum videtur. Sed facilis est ad hanc obiectionem responsio. Multi sunt naevi, atque multae imbecillitates, quas Deus toleravit in viris sanctis, non probavit. Cogitemus ea, quae sacrae litterae de sanctissimorum hominum aberrationibus commemorarunt, & iudicemus, num ea omnia bona fuerint, quae ab ipsis profecta sunt. Non igitur recte calculos ponunt, qui in hunc modum argumentantur: quicquid cum fide stare potest, illud est bonum, laudabile atque expetendum. Iam vero superstitio fidem non destruit. Ergo illa non mala, sed bona, atque expetenda est. Accedit, quod probari nequit, superstitionem omnem fidei innocue admisceri.

## §. XL.

Non male statuunt, qui morum doctoribus suadent, ut in moralitate actionum diiudicanda respectum habeant ad sacras litteras, utpote in quibus purior fluit morum doctrina. Ad has attendenti dilucet, grauissime interdictam esse superstitionem. Multa sunt loca scripturae sacrae, quibus id cogi potest, quod contendimus. Videatur Deuter, XVIII. 10. Leuit. XIX. 26. Ierem. X. 2. Ies. VIII. 20. & alibi. Non nostrum est, haec excutere pluribus, ne videamur falcem in alienam messem immittere. Ad probandum satis est, prauam esse superstitionem, quia eam Deus vetuit.

## §. XLI.

Incidit iam quaestio, vtrum Atheismus, an superstitio peior sit. Quaestioni isti ansam dedit PLVTARCHVS

CHVS *in libello de superstitione* (z), in quo superstitionem peiorem atheismo esse, omni asseueratione adfirmavit. Hanc sententiam amplexus est BÆLIVS, (a) cui etiam nonnulli alii suffragati sunt. Quæstio hæc ex earum numero est, quæ comparatiuæ vocantur, atque difficiles explicatus habent, in quarum diiudicationem nemo prudens facile descenderit. Enumeranda enim sunt omnia, atque singula incommoda, quæ a rebus originem trahere possunt, si de duarum, vel plurium rerum maiore turpitudinis gradu iudicium decretorium ferre constitutum habemus. Nostra tamen sententia eo propendet, vt atheismo maiorem turpitudinem, quam superstitioni, adiudicemus, hac ratione ducti, quod melius sit, gaudere aliqua Dei cognitione, atque eius existentiam persuasam habere, quam ea prorsus destitui, & summi numinis existentiam inficias ire. Superstitiosus Deum admittit, atque de Dei existentia non dubitat; errat modo in hoc, quod vim quandam diuinam rebus adtribuit, qua illæ carent. Ceterum minus utilis disceptatio ista videtur. Sunt mala, sunt magna mala, sunt omni conatu fugienda, quodnam maius sit, non adeo multum refert expedire.

## §. XLII.

Quod reliquum est, nonnihil dicendum est de gradibus turpitudinis, quæ superstitioni adhaeret, atque de eius imputatione. Egimus supra de discrimine inter superstitionem absurdam & speciosam. Non dubium est, quin maior turpitudinis insit absurdae superstitioni quam speciosæ. Ratio in promptu est, propterea quod maior error isti, quam huic subest. Huic consentaneum est, maio-

(z) *περὶ δεῖσιδαιμονίας* T. II. Operum pag. 164. sqq.

(a) *in pensées diuerses* T. III. des *Oeuvres diuerses*.

maiozem imputationem dari superstitionis absurdae, quam speciosae.

## §. XLIII.

In diiudicanda turpitudine superstitionis, atque gradu imputationis determinando dispiciendum est de tempore, loco & personis. Etenim non omnibus in locis, omnibus temporibus, atque personis eadem copia cognoscendi Deum atque res diuinas suppetit. Qui in magna rerum diuinarum luce versantur, turpius peccant, si ei dediti fuerint, quam illi, qui eadem non fruuntur. Christianis hominibus licet esse tam felicibus, ut rerum diuinarum scientia praepolleant: Gentilibus non item: illis igitur magis imputatur superstitio, quam gentilibus. Nostra aetate rerum naturalium scientia magis exulta est, quam vlla alia. Ideo facilius est, dignoscere causas naturales & supernaturales. Non adeo facilis igitur est lapsus in superstitionem, ac, si datur, maior est imputatio. In plebeio homine, qui pauca norit, excusatio est superstitio, quam in viris eruditis. Quo facilius enim euitari potest malum quoddam, eo maior; quo difficilius, eo minor est imputatio.

## §. XLIV.

Quae cum lacte materno imbibimus, altas in animo radices agere, atque non nisi difficulter ex eo euelli solent. Pauci enim sunt homines, qui quae *παροπαράδοτος* adceperunt, in rationis trutina suspendunt atque singula pensant. Eunt plerique omnes non qua eundum, erat, sed qua itur. Saepius audita, visa, lecta pro indubitate veris reputantur. Accedit consuetudo, quae haud abre pro altera natura habetur. *Naturam vero si expellas furca*

*furca, tamen usque recurret.* Minus igitur libertate gaudent, qui superstitione innutriti eidem adhaerent &, quod consequens est, minus illis, hoc quicquid vitii est, imputari potest. Secus se res habet in eis, qui immunes ab educationis labe in illud incurrunt.

## §. XLV.

Generatim ut rem complectar, omnis imputationis bonus est libertas actionum & inde nascentium habituum, atque adeo superstitionis. Quomodo igitur cunque libertas in superstitionis amplexu vel dilatatur, vel contrahitur, eadem ratione vel maior, vel minor erit imputatio, dummodo cetera paria sint. Idcirco non credo, opus esse, ad singula genera superstitionis descendere, eorumque turpitudinis atque imputationis gradus emetiri. Prouide mihi hac in re agere videor, cum multa adhuc desint, quae obstant, quo minus liceat hic γεομετρῆσαι, vel omnia ad calculum reuocare. Viderint alii, qui me acutius cernunt &, quod meis viribus superius credo, extricare gestiunt.

## §. XLVI.

Ne labor qualiscunque meus in multorum reprehensionem incurrat, monendi sunt lectores, me nihil detractum velle viribus diuinis, quae rebus aliis, docente sanctiore disciplina, adtributae sunt. Non enim sum nescius, quantum se iactent illi, qui de religionis reuelatae dignitate multa detrahunt, atque omnia ad religionem naturalem reuocant; quos Naturalistas vocare Theologi consueuerunt. Hi dum superstitionem impetere videri volunt, arcem religionis inuadunt &, qui

quicquid ratio non docet, pro fabulis atque nugis habent. Ostendimus, credē, fieri posse, vt rebus extra Deum positis vis quaedam diuina adtribuatur. (§. VIII.) Qua si gaudent, superstitione nulla est, si quis pie eam rebus adiudicet. Theologorum hoc munus est, vt, veritate reuelationis diuinæ extra ingenij aleam posita, nos edoceant, quibus rebus ea adsignata fuerit. His argumentis munitis, non est, cur ad sensum denegemus. Rem exemplo declarabo. Scripturæ sacrae vim quandam diuinam inesse, docemur. Nihil obstat, quo minus illud tanquam verum concedamus, dummodo de diuina ipsius origine erudiamur. Hac credita, ad persuadendum facile est, maiorem vim atque efficaciam ei insitam esse, atque illa est, quam humanis scriptis largimur. Par est ratio aliarum rerum, quae in eundem censum veniunt.

## §. XLVII.

Dicto congruum est, ne facile in superstitionis suspicionem adducamus, quae in ritibus atque caerimoniis in Christianorum coetu frequentantur, atque etiam in repurgato plurima retinentur. Sunt, fateor equidem, plurima huius generis. quae Christiani a gentilibus mutuati sunt. Sunt etiam, id quod largior, superstitionosa atque minus ferenda. Nihilominus tamen bene multa perperam superstitionis incusantur. Dicam quae sentio. Caerimoniae & ritus sacri sunt signa quaedam, religionis causa in ecclesiam inuecta. Signorum ea ratio est, vt subinde significatum suum immutent. Rationes minus recte subducit, qui hoc modo argumentatur: Caerimonia hae vel illae a gentilibus originem traxerunt. Ergo illae superstitionosae sunt. Restat quaestio, num illis vis quaedam adiudicata fuerit. Si hoc ex vero adfirmari possit & il-

la

la eis defuerit, tunc vt istae in superstitionem transcribantur, per me licet. Quodsi vero hoc minus fiat, caerimoniae superstitionis adfines non sunt. Supremum numen non pauca in Israëlitarum cultu religioso, quae ab Aegyptiorum ritibus & caerimoniis sacris non abhorrebant, per mirabilem quandam *συνηταίβασις* concessit. Quis inde coget, haec omnia superstitionis plena fuisse, hac ratione inductus, quod illa olim superstitionis pars quaedam fuerint. Adtributa illis est vel alia vis, vel potestas significandi & detractum id omne, quod superstitionem olim redolebat. Idem etiam dicendum est de ritibus atque caerimoniis sacris, quae in nostram Ecclesiam a Pontificiis sine scripturae sacrae praeceptis deriuatae fuerunt. Fuerunt illae olim superstitionis plenae, apud nos non sunt. Nulla enim illis vis diuina adsignata est, signa sunt, quorum significatus aliorsum translatus est. Haec qui cogitat, mitius iudicium feret de Spencers legibus Ebraeorum ritualibus, qui hunc sibi finem praestituit, vt doceret, coetum quendam minus recte superstitionis postulari, etsi caerimoniae admittat, quae ex superstitione originem ducant.

